

Ordo Plan-
tarum.

Ac primò quidem, proximè Solem collocatur *Mercurius*, ut qui circuitum circa ipsum, omnium brevissimum describat, eundemque citissimè absolvat; nempe intra menses quàm proximè tres.

Secundo loco statuitur *Venus*, quæ, ut ambitu superat *Mercurium*, sic velocitate superat remotiores Planetas, circuitum suum intra menses 7 cum semisse absolvens.

Ex hoc Ter-
ra ipsa est
Planeta, &
Lunam cir-
cumvehit.

Tertiò ipsa *Terra*, quæ ut suo circuitu complectitur *Venerem*, ita ipsum tardius absolvit; ut puta intra menses 12, sive annum unum, ac tantâ inter *Venerem* & *Martem* intermeat ab utroque distantia, ut in ipso eorum interstitio, circumdatam sibi habeant *Lunam* tanquam asseclam, quæ una cum ipsa ita transvehatur, circa Solem motu annuo, ut interim tamen motu menstruo ipsi *Terræ* circumferatur.

Quartò *Mars*, qui & *Telluri* cir-

cumducitur, & non absolvit circuitum, nisi annis proximè duobus.

Quintò *Jupiter*, qui & *Martem* pariratione circumit, & circuitum, nisi annis proximè duodecim absolvit.

Sextò *Saturnus*, cujus circuitus cæteros omnes complectitur & absolvitur solummodò intra annos proximè 30.

Postremò censetur spatium à *Saturno* adusque *Fixas* interceptum, esse ingens ac pene immensum; quippe & distantia *Fixarum* à terra tanta æstimatur, ut non modo ipse *Terræ* globus ad regionem *Fixarum* collatus, puncti instar sit, (quod etiam sine ulla contradictione ab omnibus Astronomis conceditur) sed puncti etiam instar sit ipse alioquin *Magnus Orbis*, in quo *Terra* circuitum circa Solem peragit, cujusque semidiameter est ipsa inter *Terram* Solemque distantia. De quibus omnibus longè latèque videndus dictus *Copernicus* in suis 6 libris de revolutionibus orbium cælestium, Norimbergæ editis.

Sphæra Bel-
larum Fi-
xarum.

CAPUT VI.

De Motu Terræ Diurno & Annuo secundum Copernicum.

Supposito itaque *Telluris* globo, unâ cum *Luna* inter *Venerem* & *Martem*; duplicem illi motum *Copernicus* attribuit: *Diurnum* & *Annuum*; cui additur tertius nimirum *Inclinationis*, qui tamen propriè non est motus.

Terra Motus
Diurnus.

Diurnus motus est ipsa *Telluris* revolutio circa proprium axem, fitque tendendo ortum versus, & peragendo circuitum intra horas 24; adeò ut eadem *Terræ* pars, quæ *Soli* obversa, die fruatur, quæ averfa, patiatur noctem, ac ipsæ interim *Cæli* partes, quæ ex ordine quasi occurrunt, retegantur sive oriri appareant, quæ ex opposito retrò abeant, occultentur, occidantque.

Annuus motus est ipsa ejusdem *Telluris* progressio per *Zodiacum*, hoc est, sub signis *Zodiaci*, dum inter *Venerem* & *Martem* que incedens, & in orientem etiam contendens, circumducitur ipsi *Soli*, ac circuitum peragit intra annum; Nempe dum *Terræ* superficies diurno motu circa centrum, axemque proprium convolvitur, ipsum interim centrum provehitur sensim juxta successionem signorum. Ex gr. eo modo,

Terra Mo-
tus An-
nuus, qui
tamen ma-
gis Latio
nominan-
dus.

quo voluto supra planum globo, ipsius centrum secundum longitudinem plani promovetur, & interim superficies globi circa centrum axemve revolvitur. Ex quo motu fit, ut quando *Terra* existit inter *Solem* & unum signum, *Sol* tunc tegat oppositum ac dicatur in illo esse, Ex gr. *Terrâ* constitutâ in *Libra*, *Sol* esse apparet in *Ariete* & transeunte ex *Libra* in *Scorpionem*, appareat *Sol* transire ex *Ariete* in *Taurum*, ac ita deinceps; adeo proinde ut *Terra* sit, quæ *Zodiacum* reipsa percurrat, describatque *Eclipticam*, *Sol* verò ipse sit, qui apparenter percurrat.

Motus demum *Inclinationis*, non revera motus, sed quasi motus annui modificatio est, nimirum si in magno Orbe (id est in dicto circulo, quem *Terra* annuo motu circa Solem juxta successionem signorum describit) concipias, tum *Eclipticam*, tum *Æquatorem*, cujus planum intelligatur esse in *Fixas* usque productum, ac simul axis per Solem transiens intelligatur in eandem regionem quousque in polos desinat, traductus: Finge deinceps *Terram*

Motus In-
clinationis.

ram